Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1339
Quelle:
Copyright:

me meriti vitam, quam ad an. 1464. produxit, et opera habes in *Scriptt. Univ. Vien.* P. I. p. 139. ubi et Scripti nostri ex *Cod. Mellicensi* fit mentio.

Thecae anteriori praesentis intus adscriptum legitur: *Hunc librum testatus Monasterio s. dorothee in wienna egregius doctor sacre Theologie et arcium Magister narcissus hercz de perching cuius anima requiescat in pace qui fuit specialis fautor monasterij.* Fuit *Narcissus* ab anno 1418. quater Philosophiae Decanus, anno 1423 et 31. totam Academiam rexit, et ad D. *Stephani* Canonicus diem clausit a. 1442. Unde liquet, Opusculum *Haselbachii* Codici serius inscriptum fuisse.

CCCXLIII.

196 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 124. f. per duas columnas a diversis scriptus et olim ad *Conventum Vienn. Fratrum Praed.* pertinens continet sequentia: I. *Incipit Tractatus de actibus elicitis et imperatis de lecturis fratris leonardi de ualle brixinensi ordinis predicatorum.* Orditur: *Prima inquisitio. Que sit voluntas deliberatiua uel deliberata* &c. De *Leonardo* hoc, ejusque opusculis, agit *Quetifus* in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 816. et 843. T. II. p. 823. sed, quod jam de *Valle Brixinensi* (Brixenthal in *Tyroli*) jam de *Vienna* dictum inveniret, immerito in duos secat. Congerenda itaque in *Unum* sunt Scripta, quae ex *Lambecio* adfert, quaeque suo loco etiam hic recensebuntur. Clarebat vero *Leonardus* hic in Coenobio et Academia *Vienn.* post Sec. XV. medium. Plura ad Cod. DLXXXVI. et seqq.

II. *fol.* 19. *Incipit Prologus in librum de apibus. Quem bonum vniuersale vocant. Reuerendo in christo patri fratri humberto magistro ordinis predicatorum Sacerdos humilis, cujus nomen ad presens non vrget necessitas nominari* &c. *Thomas* is est *de Cantimprato*, vulgo *Cantipratanus*, in *Brabantia* natus, O. P. Sec. XIII. Scriptor, qui Opus istud de Officio Praelatorum et Subditorum piis fabellis pro aevi genio adspersum *Libris* II. circa an. 1261. exegit. Agunt de eo *Quetifus* T. I. p. 251. *Foppens Bibl. Belg.* P. II. p. 1131. *Fabric. Bibl. med. et inf. Lat.* L. 19. p. 247. Non tamen Versionis *Belgicae* meminere, quae teste *Gerdesio Floril. Libb. rar.* p. 45. et *Vissero* in *Naamlyst* s. Catal. Editt. in Belgio Sec. XV. factar. p. 26. lucem vidit *Zwollis per Petr. van Os* 1488. f. Codici nostro tantum inest *Liber* I. in cujus calce lego: *Sciant Fratres carissimi Quod cum Liber de Apibus Rarus existens diu non poterat a nobis obtineri ad transscribendum propter quedam &c. Tandem tamen ad instantiam affectuosam fratris leonardi &c.* (ejus qui supra) *Dominus Magister Martinus abbas Scotorum benedicte memorie procurauit nobis Exemplar secrecius.*